

TITULUS V.

DE CONDITIONIBUS APPOSITIS IN DESPONSATIONE ET ALIIS
CONTRACTIBUS. ^a

50. *Nota I.* *Conditionem* conformiter huic rubricæ definire: quòd sit affectio orationis suspendens vel resolvens contractum, ejusque obligationem. Dividitur:—1.º In *suspensivam*, quæ obligationem actus suspendit seu differt, donec ipsa conditio existat, v. g. ducam te, si mille attuleris; et *resolutivam*, quæ obligationem ab initio puram dissolvit, et nullam reddit, v. g. ducam te, nisi intra octiduum ditior sponsa se obtulerit: fundus tibi venditus esto, nisi intra proximas calendas alius emptor plus obtulerit. Vide *tit. ff. de in diem additione*.—2.º In *possibilem*, quæ evenire potest; et *impossibilem*, quam evenire repugnat, ut si chymæram obtuleris.—3.º Possibilis subdividitur in *necessariam*, quæ naturaliter existet, v. g. si cras sol orietur, vel ex suppositione decreti divini certò ponetur, v. g. si Antichristus exlitterit; et *contingentem*, quæ potest evenire, vel non evenire, ut si pater consenserit. Et hæc, vel est *potestativa* seu arbitraria, quam implere est in potestate contrahentis, v. g. si capitolium ascenderis, si mihi obsequium præstiteris etc.; vel *casualis* seu fortuita, quæ pendet ex eventu incerto et fortuito: ut si navis ex India venerit; vel *mixta*, quæ partim à libera voluntate, partim ab incerto eventu pendet, v. g. si ex Italia in Germaniam veneris.—4.º *Impossibilis*, alia est *ex natura rei*, quam existere natura rei prohibet: ut si chymæram dederis, digito cælum attingeris; alia *impossibilis de facto*, quæ propter summam difficultatem existere nequit: ut si dicas mendicæ, duco te, si millionem aureorum pro dote dederis, si me Regem feceris; alia *impossibilis de jure* seu turpis, quam ponere jus vetat naturale, divinum aut humanum: ut si mecum fornicata fuerit etc.; nam quod lege non licet, id nec nos posse existimare debemus (*l. 15. ff. de condition. institution.*) Huic opponitur conditio *honestæ*, quam jus non reprobatur in contractibus. Rursum conditio *impossibilis de jure*, alia est contraria substantiæ matrimonii seu triplici ejus bono; alia quæ ita ei non contrariatur, de quibus infra.—5.º Conditio alia est *de præsentis*, quæ facit actum dependere ab eo, quod actu existit: alia *de præterito*, quæ facit actum dependere ab eo, quod jam extitit: alia *de futuro*, quæ facit actum dependere ab eo, quod primò existet.—Item alia est *expressa*, quæ conceptis verbis apponitur: alia *tacita*, quæ ex mente con-

^a—Agitur de hac materia in Decreto 32. q. 2. sparsim. Et applicari possunt ea, quæ traduntur *tit. ff. de condition. et demonstr. et tit. de V. O. tit. de condition. institut.*

trahentium, vel juris dispositione contractui inest; vel generaliter in omni contractu, v. g. si potuerò; vel specialiter in certo contractu, v. g. in sponsalibus, si nullum impedimentum intervenerit, si res in eodem statu permanserit etc.

Nota II. Ex dictis conditionibus illam de futuro contingenti esse propriè dictam conditionem (*l. 10. ff. de condition. instit.*) cum hæc sola differat actum: unde à natura conditionis deficit conditio necessaria, impossibilis saltè naturaliter vel de facto, et ea quæ est de præterito vel præsentis. Hic tamen paulò latiùs de conditionatis despensationibus agemus, prout etiam eis admiscetur conditiones impropiè tales.

51. Q. I. *An, et quæ conditiones de futuro sponsalibus et matrimonio apponi possint?*

R. 1.º Conditio de futuro contingenti apponi potest sponsalibus et matrimonio: ita colligitur ex *c. 3. 5. h. t.* Nam sponsalia et matrimonium sequuntur naturam aliorum contractuum; neque numerantur inter illos actus legitimos, qui conditionem non recipiunt, nec diem, ex *reg. 77. ff. et reg. 50. in 6.*; ergò iniri possunt sub conditione, nisi specialiter talis conditio à jure reprobetur.

2.º Conditio honesta de futuro contingente suspendit valorem despensationis: ita comm. ex *c. 3. 5. h. t. l. 97. §. 2. ff. de V. O.* Nam natura hujus conditionis est suspendere obligationem actus, donec ipsa conditio existat. Si tamen ejus existentia culpabiliter ab altero impediretur, conditio haberetur pro impleta (*l. 161. ff. de R. J.*), uti etiam in casu, quo ab illa recederetur. Licet autem in sponsalibus, utpotè natura sua solubilibus, conditio de mutuo consensu apponi possit post sponsalia contracta, tamen matrimonio, utpotè ex natura sua insolubili, apponi nequit, nisi in ipso contractu matrimoniali.

3.º Matrimonium, purificata conditione, perficitur seu transit in absolutum absque novo consensu: ita Inn., Fagn., Sanch. et alii contra Sotum, Covar., Barbos. etc., quorum sententia, licet mihi videatur minùs probabilis, est tamen tutior et suadenda in praxi ad tollendos omnes scrupulos. *Prob. arg.* aliorum contractuum, qui purificata conditione, transeunt in absolutos absque novo consensu (*l. 7. ff. d. contrah. empt. l. 44. ff. qui portior. in pignor.*), uti sunt sponsalia (*c. un. de sponsal. in 6.*), quia consensus prior moraliter perseverat, sicut consensus principalis contrahentis per procuratorem; ergò posita conditione, consensus matrimoniales fiunt absoluti, et eodem momento conficitur Sacramentum matrimonii; præsertim si conditio notoriè existat, atque innotescat parochi et testibus. Quòd si existentia conditionis non sit notoria, docent Nav., Rodriq., Sanch., Fagn. et alii ex Decreto S. Pii V. et Clem. VIII. non esse opus, ut parochi et testibus manifestetur impletio conditionis; quia hæc retrahitur ad tempus celebrari matrimonii coràm parochi et testibus; et Tridentino satisfit, eo quod matrimonium istud sit probabile. Neque contrahentes ad aliud convolare possint, donec discutatur causa prioris matrimonii. In praxi tamen securius est, ut impletio conditionis manifestetur parochi et testibus; quia hi testificari non possent de matrimonio

absoluto, Laym., Engl., Schmier etc. Ex nostra sententia sequitur, quòd matrimonium post impletam conditionem contractum cum alia non valeat; quia ei obstat pruis ligamen jam absolutum: valeat verò in sententia opposita, antequam novus consensus absolutus ponatur.

Dices: I. C. 5. h. t. ante eventum conditionis non est quis cogendus ad matrimonium contrahendum; ergò post eventum conditionis est cogendus ad contrahendum; et consequenter contractus matrimonii non fit sola conditione impleta, sed novo consensu.—H. S. D. in 4. d. 29. q. un. ar. 3. q. 3. comparat matrimonium conditionatum sponsalibus; sed post hæc requiritur novus consensus absolutus; ergò.

R. Ad I. Ex contextu patet, quòd ly *ad contrahendum* accipiatur abusive loco *ad consummandum*.—*Ad II.* Comparatio ista fit tantum in hoc, quòd consensus conditionatus non faciat Sacramentum, quòd verum est; impleta autem sensibiliter conditione, consensus fiunt absoluti et faciunt Sacramentum.

4.º Hæc conditio: *si patri placuerit* censetur impleta, si pater vel expressè consentiat, vel tacens non contradicat; quia sensus illius est: *si pater non reprobaverit*, aut *ægrè tulerit*. At si pater primò dissentiat, deficit conditio, etsi mutata voluntate, deinde consentiat; cum conditio ista intelligatur de primo consensu (*arg. l. 29. ff. de condition. et demonstr.*)—Cui non obstat *c. 7. de procurat. in 6.*, quia mandatum procuratorium non supponitur esse hoc modo conditionatum; adeòque procurator, etsi primò dissentiat, tamen antequam revocetur mandatum, liberam habet facultatem illud acceptandi, ità jure disponente.

5.º Si contracta sunt duo matrimonia conditionata, illud prævalet, cujus conditio citius impleta est, esto posterius sit contractum; nam absolutum prævalet conditionato; sed impleta conditione, fit absolutum, et Sacramentum; ergò. At si utriusque conditio eodem tempore impleatur, neutrum valet, quia utrumque est incertum, et alterum alteri est impedimento: Sanch. et alii. At in sponsalibus, sicut dispar est ratio, ità priora semper prævalent posterioribus, *ex reg. 54. in 6. Qui prior tempore, potior jure.*

52. Q. II. *Quam vim habeat conditio de præterito, præsentem, vel futuro necessario?*

R. 1.º Nulla ex his conditionibus suspendit actum; sed si conditio vera est, statim matrimonium evadit absolutum et validum; invalidum verò, si conditio deficit (§. 6. *Inst. et l. 120. ff. de V. O.*) Nam circa præteritum et præsens nulla datur dilatio: futurum verò necessarium, sive naturaliter, ut *si cras dies erit*, sive ex suppositione decreti infallibilis, ut *si Antichristus venerit*, in jure habetur pro præsentem (*l. 9. §. 1. ff. de novat.*); ergò. Unde matrimonium sub hac conditione: *si nobilis es, et non fuisti fornicata*, existente nobilitate sine fornicatione, valet; altero horum deficiente, non valet.—*Excipe*, nisi conditio necessaria ex mente contrahentium alteretur, et temporis determinationem significet, v. g. *duco te, si mater moriatur*, hoc est, post mortem matris.

2.º Conditio de futuro, quæ tacitè inest, nihil speciale operatur, etsi

exprimatur: unde relinquit matrimonium validum, v. g. *duco te, si Religionem non elegero*. Prodest tamen ad evadendam pœnam in malè contrahentes statutam, ut *duco te, si non es consanguinea mea*; quo casu non incurritur excommunicatio (*Clem. un. de consanguinit.*) Si tamen conditio alio modo exprimatur, quàm insit, vera est conditio de futuro suspensiva, v. g. *duco te, si Episcopus pronuntiaverit nullum esse inter nos impedimentum*. Ex his plures particulares quæstiones solvi possunt, v. g. *duco te, si Deo placeat, si Christus est in hac hostia, si frater tuus est verus sacerdos* etc.; sed ejusmodi quæstiones ad praxim non facientes sanius omituntur.

3.º Copula carnalis subsecuta non remittit conditionem de præterito aut præsentem, nisi aliud actum sit inter partes: unde corrumpit matrimonium in initum sub conditione: *si nobilis es, detecta deinde ignobilitate patris*; nam tale matrimonium ab initio est nullum, nisi deinde coràm parochò et testibus cum remissa conditione renovetur.—Nec obstat *c. 3. 5. 6. h. t.*; nam jura ista procedunt de sponsalibus, quibus annexa conditio præsumitur remitti per subsequentem copulam: secus est in matrimonio; nisi speculativè dicas remissionem conditionis retrotrahi ad tempus initii matrimonii.

53. Q. II. *Quid operentur conditiones ex natura rei, vel de facto impossibiles?*

R. 1.º Conditio impossibilis adjecta matrimonio habetur pro non adjecta, et matrimonium per se relinquit absolutum et validum: ità decisum est *c. fin. h. t.*, quæ decisio fundatur in præsumptione facti, quòd conditio ista adjecta sit joci causa, non verò animo serio irritandi matrimonium. Sic etiam in ultimis voluntatibus conditio impossibilis habetur pro non adjecta (§. 10. *Inst. de hæred. Inst. l. 3. et l. 6. §. 1. ff. de condit. et demonstr.*); nam in contrahendis nuptiis, et disponendis ultimis voluntatibus nemo censetur inutiliter et sine effectu agere. Hæc tamen dispositio, utpote exorbitans, non extenditur ad alios actus, sed in his conditio impossibilis habetur pro adjecta, et vitiat valorem actus: ut in sponsalibus et aliis contractibus. At si præsumptio ista fallat, coràm Deo et in foro conscientie nullum est matrimonium; imò et in foro externo, si ex circumstantiis constet conditionem impossibilem serià esse adjectam, ut contrahens ostenderet, se nullo modo velle obligare: ut si princeps rusticæ dicat: *duco te, si cælum digito tetigeris* etc. Item si contrahentes ignorarunt constitutionem (*c. fin. h. t.*), vel erroneè cogitarunt conditionem esse possibilem. Ceterum doctrina ista locum habet non tantum in conditione impossibili de futuro, ut vult Zoes, Sylv. et alii, sed etiam de præterito et præsentem, ut docent Covaruv., Reiff., Schmalz., Schmier et alii; quia conditio impossibilis rejicitur ex eo, quia omninò impossibilis est; non verò quia ad possibile obligat: ratio autem impossibilitatis etiam est in præterito et præsentem (*l. 43. ff. de hæred. instit.*)

2.º Conditio impossibilis de facto, quæ nec auxilio amicorum impleri potest, habetur pro non adjecta et matrimonium relinquit validum; ut si quis pauperi dicat, *duco te, si decem millia aureorum pro dote attuleris*:

nam pauperi tam impossibile est istam quantitatem afferre, quam digito cælum tangere. At conditio, quæ solùm difficilis est, superabilis tamen per favorem amicorum, suspendit valorem matrimonii, quia difficultas non liberat (*lib. 137. §. 4. ff. de V. O.*)

3. Matrimonium contractum cum hac conditione: *si Papa dispensaverit*, valet conditionatè, modò adsit justa causa dispensandi et impedimentum regulariter sit dispensabile: ità Covar., Reiff., Wex, Schmalz et alii, contra Host., Sylv., Card. de Luca etc. *Prob. ex principio generali: quia actus tempore inhabili gestus, si referatur in tempus habile, valet, dummodò habitas facile et communiter obtineri possit; l. 62. ff. de hæredib. instit. l. 59. ff. de condit. demonstr. l. 5. ff. de reb. dub. etc.*, ubi dicitur valere institutio vel legatum sub conditione, *cùm capere potuerit, si restitutionem civitatis deportato impetraverit, si deportatus consul factus fuerit*; suntque exempla obvia in Episcopo vovente Religionem, si Papa indulserit; in renuntiante beneficium cum reservatione pensionis, si Papa admiserit; in vendente feudum, si dominus consenserit; in postulato acceptante postulationem, si Papa illam admiserit etc. Sed si adsit justa causa dispensandi, et impedimentum sæpe et facile à Papa solet dispensari, habitas ad absolutè contra hendum matrimonium facile potest obtineri per dispensationem; ergò subsistit tale matrimonium sub conditione, *si Papa dispensaverit*: pro hac sententia stetit sæpius S. Rota. Jura verò in contrarium, et aliæ decisiones locum habent in illo casu, quo non adest justa causa dispensandi vel impedimentum regulariter est indispensabile, vel eventus conditionis potiùs timendus est, quam expectandus; ut si liber factus fuerit servus, si res sacra fuerit profana: quo sensu explicantur *l. 35. §. 1. l. 83. §. 5. l. 137. §. 6. ff. de V. O. l. 39. §. 8. et seqq. ff. de legat. 1.* Jam si sponsalia contracta sunt sub dicta conditione, Papa dispensat ad contrahendum; si matrimonium, dispensatio tendit ad illud purificandum et absolutum reddendum. Quia verò conditio dispensationis pontificiæ est prorsus extrinseca, impediti, contrahendo sponsalia vel nuptias, si conditionem istam non exprimant, nihil agunt (*l. 35. §. 1. ff. de V. O.*): imò substantiè pœnis indebitè contrahentium.

54. Q. IV. *Quid operetur conditio turpis seu impossibilis de jure?*

R. 1.º Conditio turpis de futuro; v. g. *duco te, si patrem occideris*, habetur in matrimonio pro non adjecta, et consequenter valorem absolutum matrimonii non suspendit: ità decisum est *c. fin. h. t.*, quæ decisio fundatur in præsumptione facti, quod contrahens adiciat hanc conditionem nugatoriè sine animo alterum obligandi. Nam Ecclesia semper præsumit id, quod honestum est et excludit peccatum; ergò cùm conditio turpis invitet ad peccatum, Ecclesia præsumit illam non esse feriè adjectam, et consequenter habet illam pro non adjecta in matrimonio, sicut in ultimis voluntatibus (*l. 15. ff. de conditionib. instit.*). Si tamen præsumptio fallat, et conditio turpis animo serio adjecta est, in foro conscientiæ suspendit valorem matrimonii, donec impleatur; cùm præsumptio cedat veritati, sicut suprà dictum de conditione impossibili n. 53. Hæc dispositio exorbitans, et matrimonio et ultimis voluntatibus non est extendenda ad sponsalia et

alios contractus, sed in his conditio turpis habetur pro adjecta, nisi constet, eam loco adjectam fuisse.

2.º Conditio turpis de præterito vel præsentis habetur pro adjecta, et cons. valor matrimonii ab ea pendet (S. D. in *4. d. 29. q. un. ar. 3.*); nam licet *cap. fin. h. t.* generaliter loquatur, tamen pressius est intelligendum de illa conditione turpi, quæ propriè est conditio, et invitatur ad peccatum, uti est conditio turpis de futuro; sed conditio turpis de præterito nec est propriè conditio, nec invitatur ad peccatum, sed præcisè importat factum, cui contrahens suam intentionem alligat; ergò. Unde hic contractus: *duco te, si patrem tuum occidisti, si superba es*, valet, vera existente conditione; ea verò non existente, non valet.

Dices: conditio impossibilis de præterito habetur pro non adjecta; ergò et turpis de præterito.

R. N. C. Nam impossibilis rejicitur ex sola causa impossibilitatis; turpis verò ex eo, quia invitatur ad peccatum; quæ causa reperitur in sola conditione turpi de futuro.

3.º Hæc conditio: *duco te, si dederis centum*, in jure reputatur turpis, et amore libidinis facta (*l. 97. §. 2. ff. de V. O. l. 2. ff. de donat. inter V. et U.*)—Excipe nisi adjecta sit ex justa causa, v. g. in compensationem dotis, nobilitatis etc.—II. Hæc conditio: *si te virginem invenero*, si intelligatur de exploratione illicita per concubitum, turpis est; honesta verò, si intelligatur de exploratione licita per matronas honestas.—III. Hæc conditio: *si corporis usum dederis*, relata ad expletum bimestre matrimonii, relinquit matrimonium absolutum; quia tacitè inest ob jus maritale ad copulam: relata verò ad primum bimestre, quo deliberari potest de ingressu Religionis, est conditio indifferens; adeòque suspendit valorem matrimonii, quod etiam faciunt conditiones impertinentes, v. g. *duco te, si cras serenum fuerit etc.*

55. Q. V. *Quid operetur conditio contraria substantiæ matrimonii?*

R. 1.º Talis conditio de futuro ab utroque contrahente apposita vitiat valorem matrimonii: ità decisum est *c. fin. h. t.*; nam spectato jure naturali, nulla res subsistit sine suis substantialibus: v. g. ut commodatarius non habeat jus utendi, matuarius non fiat dominus rei mutuo acceptæ etc.; ergò neque subsistit matrimonium, si apponatur conditio adversa ejus substantiæ, seu triplici ejus bono: scil. bono prolis generandæ et educandæ: v. g. *duco te, si generationem prolis evitaris, sterilem te feceris, prolem suffocaveris etc.*; bono fidei quoad petendum et reddendum debitum, et cum extraneo non adulterandum: v. g. *duco te, si debitum non exegeris, alteri te prostituendam tradideris etc.*; bono Sacramenti exposcenti individuum vitæ societatem et insolubilitatem: v. g. *duco te, si nunquam mihi cohabitaveris, si meliorem, vel donec ditioem invenero etc.* Si talis conditio adjecta sit ab uno contrahente, et ab altero rejecta, valet matrimonium, quia altera pars contradicenti acquiescens, censetur à conditione recedere.

2.º Conditio de se honesta, contraria bonis matrimonii, vitiat illud: unde non valet matrimonium cum hac conditione et pacto: *si mecum in*

perpetua continentia vivas, si castitatem voveas: ita S. D. in 4. d. 28. q. un. ar. 4. ad 3. Sanch., Laym., Zoes et alii contra Palud., Abul., Pont., Schmier, Pichler etc. Nam c. *fn. h. t.* absque distinctione inter conditionem turpem et honestam generaliter statuitur vitari matrimonium per conditionem contrariam substantiæ matrimonii; sed dicta conditio est contraria substantiæ matrimonii, seu *bono prolis*, cujus generatio evitatur; ergo. Ratio est, quia duo jura contraria et duæ obligationes contrariæ stare simul nequeunt in eodem contractu; sed hoc accideret in præsentî; nam vi matrimonii acquireretur jus petendi et obligatio reddendi debitum: vi pacti verò et dictæ conditionis acquireretur jus alterum, obligans ad non petendum debitum, et obligatio ad illud non reddendum: quæ jura et obligationes manifestè contrariantur in hac materia justitiæ; ergo non stat matrimonium cum pacto et conditione mutuam servandi castitatem. Quæ ratio probat repugnantiam esse non tantum in actu secundo copulæ, sed etiam in actu primo et radice, seu in ipsis juribus et obligationibus sibi contrariantibus.—Argumenta in contrarium solvuntur ex dictis *tit. 1. de sponsal.* n. 10.

Dices: Subsistit matrimonium cum voto et intentione castitatis; ergo etiam cum pacto et conditione castitatis.

R. C. A. N. C. Nam per votum castitatis neuter conjux alterum obligat, adeoque jura ista contraria non resultant, sed corpus Deo per votum promissum, valide in materia justitiæ alteri traditur per matrimonium. Econtra per pactum et conditionem castitatis alterum obligat in materia justitiæ; et ideo propter contrarietatem jurium et obligationum non subsistit matrimonium cum tali conditione, quam solam contrarietatem attendit Pontifex in *cit. c. fn. h. t.*

3.º *Conditio non exigendi debitum*,—I vitiat matrimonium, et à fortiori conditio *non reddendi debitum*; nam prior impedit totalem traditionem corporum; posterior insuper generationem prolis.—II. *Conditio non cohabitandi ad certum tempus non vitiat valorem matrimonii*, de cujus substantia non est perpetuò cohabitare. Secus dic de conditione nunquam cohabitandi, quæ contrariatur juri maritali, et individue societati, Sanch. et alii.—III. *Conditio ingrediendi monasterium*, ante consummationem matrimonii, nude expressa non contrariatur matrimonium, quia jure inest, et nihil speciale operatur. At si exprimat alio modo, quam insit, puta modo obligatorio, ut ambo vel alter teneatur Religionem ingredi, vitiat matrimonium propter contrarietatem jurium. Nam licet conjuges primo bimestri ex privilegio Christi et juris pontificii possint Religionem ingredi, non tamen ad id obligantur; si autem obligentur, jam impeditur mutua traditio corporum.

4.º *Conditiones de præterito vel præsentî*, quæ ex materia sua videntur adversari matrimonio, non vitiant ejus valorem: v. g. si sterilitatem tibi procurasti, si es ligata voto castitatis etc.; nam nec sunt veræ conditiones, nec inferunt obligationem futuram bonis matrimonii contrariam, sed præcisè indicant factum præsens aut præteritum, à quo per se valor matrimonii non pendet.

5.º *Conditio contraria substantiæ matrimonii adjecta sponsalibus*, si implenda differtur in tempus matrimonii, vitiat illud et sponsalia; quia perinde est, ac si matrimonio apponeretur: v. g. *ducam te, si in matrimonio generationem prolis evitaveris etc.* Similiter conditio adversa bono prolis, licet implenda sit ante matrimonium, vitiat sponsalia et matrimonium: v. g. *ducam te, si veneno tibi sterilitatem procuraveris*; nam conditio ista porrigitur ad statum matrimonii, et bono prolis adversatur. At si conditio ante matrimonium implenda adversetur tantum fidei vel inseparabilitati, non vitiat sponsalia: v. g. *ducam te, si mihi dederis usum corporis, vel donec pulchriorem sponsam invenero*; nam talis conditio implenda ante matrimonium, hujus bono non adversatur.

56. Q. VI. *Quæ sint conditionibus affinia, et quid operentur in dispensationibus?*

R. 1.º Modus, causa et demonstratio. *Modus* est: adjectio oneris post contractum ferendi; et exprimitur per particulam *ut*: v. g. *duco te, ut mecum pictoriam exerceas*. *Causa* est: expressio ejus, ob quod contrahitur; et exprimitur per particulam *quia*: v. g. *quia nobilis es, duco te*. *Demonstratio* est: expressio ejus, per quod significatur persona; et exprimitur per relativum *qui* etc.: v. g. *duco te, quæ es libera, nobilis etc.*

2.º *Modus, causa et demonstratio per se non suspendunt vel vitiant matrimonium*: ita in re com.; nam *modus* obligationem præsupponit, eique solum onus adjicit (*l. 1. et seq. C. de donat. sub modo*). Si *modus* sit impossibilis aut turpis, vel contrarius substantiæ matrimonii, habetur pro non adjecto, quia nulla est obligatio ad impossibile et turpe, vel contrarium matrimonio jam in se contracto. *Causa et demonstratio* non spectant ad vim matrimonii, sed tantum declarant opinionem, quam contrahens habet de altero, et quoddam motivum ad contrahendum alliciens insinuant. Unde tritum illud: *falsa demonstratio non vitiat actum*, ex *lib. 35. ff. de condit. et demonstr.*—*Dixi: per se*; nam per accidens vitari potest matrimonium, vel ejus valor suspendi: I. Si *modus* induat naturam conditionis, ita ut contrahens nolit valere contractum, nisi existat *modus*, quod ex mente contrahentium colligendum erit. II. Si *causa* vel *demonstratio* involvat errorem substantialem personæ, vel status seu servitutis, vel induat naturam conditionis: v. g. *contraho tecum, quæ es Berta, libera*; nam si est *Caja*, vel ancilla, nullus est contractus, nisi error esset in solo nomine. Item *duco te, quia mille pro dote dabis*: hoc est, *si mille pro dote dederis*.

57. Q. VII. *An licitum sit matrimonium cum pacto seu modo morganaticæ?*

Ante respons. nota *matrimonium morganaticum* seu *conscientiæ* definiri: conjunctio viri cum femina inferioris conditionis secundum SS. Canones rata: eo tamen pacto, ut uxor et liberi contenti sint certa portione nuptiali, et à ceteris bonis avitis et paternis, dignitatibus, titulis ac insignibus absteineant; portio ista alendæ uxori et liberis destinata, vocatur *morgengaba*, quasi donum matutinum, et corruptè *morganatica*; ex quo nomen trahit matrimonium morganaticum, seu ad morganaticam contractum (*lib. 2. Feud. tit. 29.*) Jam:

R. Matrimonium ad morganaticum contractum, et validum est et licitum: ita Konig, Schmalz et alii. Ratio primi, quia tale matrimonium per se nec est contra jus naturale, nec pontificium; ergo si fiat coram paroco et testibus, erit validum. Ratio secundi, quia pactum illud, vi cuius uxor cum futuris liberis non sequitur conditionem mariti, ex multis causis cohonestari potest; puta, quia maritus ex una parte vult esse extra periculum incontinentiæ; ex altera verò parte non vult præjudicare liberis prioris matrimonii per divisionem bonorum, quæ pluribus non sufficerent; et si minutim dividerentur, splendor familiæ deficeret. *Confr.* Matrimonium ad morganaticum contractum imitatur matrimonia Patriarcharum, quæ contraxerunt cum concubinis seu secundariis uxoribus, quarum filii non succedebant patri, ut patet in matrimonio Abrahamæ cum Agar ancilla, cuius filius Ismael eiectus est à possessione et hæreditate (*Gen. 21. v. 10.*); ergo sicut ista matrimonia erant licita, ita quoque licita sunt matrimonia ad morganaticum contracta. Ceterum, si pater, mutatis circumstantiis, vult revocare pactum morganaticum, id ei licebit, non obstante aliquo præiudicio priorum liberorum; nam tale pactum imitatur ultimam voluntatem de successione disponentem, quæ semper revocabilis est. Item liberi ex matrimonio morganatico nati admittuntur ad successionem in bonis allodialibus, si priores liberi eorumque descendentes deficiant, exceptis feudis, in quibus non succedunt (*lib. 2. F. tit. 29.*) — His non obstat *Can. 1 et 12. caus. 32. q. 2.*, et *Can. 9. dicat. 33. q. 4. et c. fin. h. t.*; nam non loquuntur de nostro casu.

Quæ hic dicta sunt de conditionibus, modo, causa et demonstratione, proportionaliter applicanda sunt aliis contractibus. Hodie verò curabit parochus, ut matrimonia purè contrahantur, nihilque eis admisceatur sine causa urgentissima.

TITULUS VI.

QUI CLERICI, VEL VOVENTES MATRIMONIUM CONTRAHERE
POSSINT. ^a

58. In hoc titulo examinantur tria impedimenta; duo dirimentia, scilicet, Ordo sacer et professio religiosa; et unum tantum impediens, scilicet, votum simplex castitatis.

59. Q. I. *An, et quo jure Ordo sacer dirimat matrimonium?*

R. 1.º Dirimit, sed solo jure Eccles. Prima pars habetur *Can. 8. d. 27. c. 1. de Cler. conjugat. c. un. de voto in 6.*, *Trid. Sess. 24. Can. 9.*; nam

^a—Agitur de hac materia in Sexto tit. de voto.—In Decreto dist. 27. 28. 30. et seq. et 17. q. 1. 2 et 27. q. 1. per tot.—In Trid. S. 24. Can. 9.

sacris Ordinibus annexa est continentia seu votum solenne castitatis, quod obstat valori matrimonii. Secunda pars est comm. cum S. D. 2. 2. q. 88. ar. 11. contra Major. stantem pro jure divino. Nam Ordo sacer non dirimit matrimonium contrahendum jure naturali, quia matrimonium absolutè non contrariatur ministeriis clericalibus, ut patet in Ecclesia orientali; neque jure divino positivo, quia hoc non constat ex verbo divino scripto aut tradito; ergo jure Ecclesiastico antiquo, et ab Apostolis constituto (*Can. 40. ut lex 27. q. 1.*) Vis autem solvendi matrimonium ratum non competit Ordini sacro, ut definitur *c. un. de voto in 6. et Extrav. un. Jo. XXII. de Voto.*

2.º Ordinatus invalidè, non obligatur voto continentiae: non solenni, quia hoc annexum est validæ ordinationi: non simplici, quia votum accessorie emissum est; ergo corrumpente Ordine tanquam principali, corrumpit votum tanquam accessorium.—Nec obstat *c. 3 et 12. de convers. conjugat.*; nam in professione religiosa votum castitatis per se et principaliter emititur; ergo ex juris interpretatione, si non valet ut solenne, valet saltè ut simplex.

3.º Ordo sacer collatus infanti non dirimit matrimonium, quia non est credibile, quòd Ecclesia infantem ligare voluerit lege continentiae, nisi ad usum rationis perveniens, expressè vel tacitè, exercendo actum Ordinis sacri, ratificasset suam ordinationem. At impubes ratione pollens, sicut in ordinatione validè potest emitte votum castitatis, ita quoque obligatur ad continentiam; uti et metu ordinatus, licet pro illo ex causa immaturi iudicii, et pro isto ex causa metus injustè incussi, facillè obtineri posset dispensatio in voto continentiae. Opposita sententia docens nec impuberem, nec metu coactum obligari ad continentiam, non videtur improbabilis. Si verò ordinatio facta est per vim absolutam, non valet, et consequenter ex illa non oritur obligatio continentiae (*c. 3. de baptismo.*)

4.º Quamvis conjugatus regulariter nec ad primam tonsuram sit admittendus (*c. fin. de tempor. ord. in 6.*), si tamen sacris Ordinibus initietur, uxore inscia vel invita, ordinatio quidem valet; sed ille ab uxore revocatus, tenetur debitum reddere, non tamen petere potest, obstante voto castitatis (*arg. cap. 3. de convers. conjugat.*), nisi legitimum et perpetuum inter eos divortium factum fuisset: quo casu maritus innocens sacris initiari potest.—Uxor, qua consentiente, maritus sacros Ordines suscipit, tenetur emitte votum continentiae, et si suspecta est de incontinentia, Religionem profiteri, ut dixi tit. de convers. conjug.; mortuo marito Clerico in sacris constituto, uxor superstes impeditur à contrahendo matrimonio ob reverentiam Sac. Ordinum (*Can. 10. et seqq. d. 28. Can. 14. d. 32.*) Si tamen consensus illius in ordinationem mariti vi, dolo aut metu gravi extortus est, non ligatur hoc impedimento, ne delicto alieno prægravetur.

60. Q. II. *An professio religiosa solennis dirimat matrimonium contrahendum, et quo jure?*

R. Ad primum: Affirmativè: ita conformiter antiquis Canonibus sub anathemate definivit Trident. Sess. 24. Can. 9.; nam professio religiosa